

querere, est coram DEo homicidium perpetrare: Matth. V, 22. seqq.

(6) *Ubi vis coram oculis nostris ponendus est DEus: v. L. de omnipraf. & omniscient.*

USUS E VERSU XV.

(1) *De DEi misericordiâ, longanimitate, veritate, &c. in L. de DEo.*

(2) *Repetitio versus quinti arguit materia hujus nunquam satis tractata dignitatem, necessitatem, utilitatem.*

USUS E VERSU XVI.

(1) *Respiciamus ad DEum, ut ipse vicissim intueatur nos: Psalm. CXXI, 1. XXV, 15.*

(2) *De miserationis repetitione dictum superius. Quod nunquam satis discitur, nunquam nimis dicitur.*

(3) *Robur animi vel corporis non obtinemus aut acquirimus, nisi illud donet DEus. In Christo possumus omnia: Phil. IV, 13.*

(4) *De DEi servis dictum v. 2. Plus adhuc dicitur; B*

cum filii ancillæ DEi, h. e. vernæ, appellamur: sic namque totam educationem nostram cum bonis omnibus transcribimus huic nostro Domino unice, nulli alteri Domino unquam addicti.

USUS E VERSU XVII.

(1) *Miracula equidem petere haut licet, ne DEum tentemus; (1. Corinth. X, 9.) petere tamen modeste possumus evidentiolem nostri liberationem, ut alii sic emendentur, &c.*

(2) *Petendum est in bonum; non pro nostrâ cupiditate aut arbitrio, sed si DEo sic placeat, si verè bonum sit, &c. Matth. VIII, 2. XXVI, 39. seqq.*

(3) *Scopus petitionis nostra sit etiam proximi emendatio: ut ocores mei videant & erubescant, ut dolent secundum Dominum 2. Cor. VII, 9.*

(4) *Erubescamus ob iniqua nostra odia, amores turpes, metus vanos, &c. tempestivè, sincerè, humillimè: Daniel. IX, 7.*

(5) *DEus & adjutor & Consolator noster, qui & dictis & factis erigit depressos, &c.*

PSALMI LXXXVII. DISPOSITIO.

Sionis variæ lingue. Generatio nova.

Continetur hœc psalmo encomium Zionis (1) à *fundatione in montibus sanctis: v. 1.* (2) à *DEi favore & præcunctis locis Israeliticis aliis electione: v. 2.* (3) à *præconio in eadem glorioso: v. 3.* (4) ab *incolarum varietate: recensẽbo inter cultores meos Ægyptium & Babylo-*

nium: nascetur illic Philisthæus, Tyrius, Æthiops; diversique alii, v. 4. 5. (5) à *DEi ipsius defensione: v. 5.* (6) à *civium novorum susceptione inter indigenas: v. 6.* (7) à *civium eorundem gaudio: canent tripudiantiũ modo: dicentes: omnes mei fontes (vel deliciæ, aut felicitates) iu te, ô Zion! v. 7.*

PSALMUS LXXXVII.

EXPLICATIO VERSUS I.

בני *pro filiis Korachi: v. vide Psal. LXXXV, 1.* Non Davidi, sed Korachitarum alicui, tanquam autori, tribuit *Musius Aben Efram secutus: quàm verè, ipsemet viderit.*

מוזמר *psalmus cantici: v. easdem duas voces, alioquin parum discrepantes, vide junctim positas Psalm. xxx, 1. XLVIII, 1. LXVI, 1. LXVII, 1. LXVIII, 1. LXXXIII, 1.* Addimus hîc observationem Gatakeri *cinni c. 10. p. 124.* ubi **שירים** censet, fuisse *ôdas*, assa voce decantandas, h. e. cantilenas: deinde **מוזמרים** vult fuisse *psalmos*, ad organa musica cantatos: (*v. Coloss. III, 16.*) Ex his autem alii vocibus prælatis canebantur, ut in versiculis singulis decantandis voces præirent, organa sequerentur; unde **שיר מוזמר** *oda psalmi: alii, organis præcuntibus, subsequente voce; qui dicti שיר מוזמר psalmus oda. Vide ibidem plura notatu haut indigna.*

יסודו *fundamentum ejus: v. scil. urbis DEi, vel sanctæ civitatis, ex vers. 3.* Ex abrupto orditur Psaltes commendare id, quod diu quasi secum perpenderat, uniceque in mente habuerat: quâ de causâ etiam relativum usurpat, EJUS, citra præviam nominis, de quò loquitur, mentionem, ac si supponeret, id æque aliis atque sibi jam notum satis esse; quomodo Ecclesia quoque in Canticò orditur *cap. I, 1. osculetur me &c.* non tamen nuncupato prius eo, quem tantopere exoptet sibi osculum deferre: ad quæ verba *Foliot, p. 6.* notat ita: *amor, quo se cunque verterit, videtur id contemplari, quod appetit, & alium quemlibet id in se experiri, quod sentit, &c.* Ita & hîc præ amore civitatis

locutum quoque esse Psalten, non est dubium. Nonnulli textum hunc referunt ad classem illorum, ubi relativum non debito ordine ad antecedens, sed consequens, respectum habet, ut *D. Glass. l. 5. philolog. tr. 2. can. 11.* ubi exempla affert plura. Nomen ipsum **יסודו** in hac quidem formâ non recurrit alibi: interea **יסוד** *imam rei partem, cui superiora innituntur reliqua, designat, v. g. altaris, Lev. IV, 7. 18. &c. templi, 2. Par. XXIV, 27. civitatis, Psalm. CXXXVII, 7. (denudate, denudate, scil. Hierosolymam, usque ad יסוד) parietis, Ezechiel. XIII, 14. Zionis, Thren. IV, 11. ignis consumsit יסודו ima ejusdem. Quare & hic voce cognatâ יסודה venit ima illa Hierosolymæ pars, cui tota strues reliqua innitebatur: cujus vel ideò meminisse voluit, ut urbis hujus sanctæ, vel ecclesiæ, sub illo schemate depictæ, describeret robur immotum ac soliditatem, dum eadem non instar tentorii, olim in deserto expansi, vel instar tugurii subitarii ad quemvis impetum facile evertitur, nec instar domûs arenæ superstructa est, sed montibus, &c. confer *Matth. VII, 24. de virò super petram ædificante; & c. V, 15. de urbe in edito locò.* Junius affixum refert ad DEum: *fundationem suam dilexit &c.* quam ipsam *Ravan. 1. 1. bibl. f. 656.* exponit de statu Judæorum, tum politico, tum ecclesiastico, citans illud *Jes. XIV, 32.* ubi Deus dicitur fundasse Zionem. Verùm refutat hoc ipsum *Piscat.* ex nexu vocis **יסודו** cum *Portis, &c.* unde & *Belge* id affixum referunt non ad DEum, sed ad templum, vel ecclesiam. Luther. olim: *ihre Grundfeste sind auf den hohen Bergen.* postea: *sie ist feste gegründet, &c. Campens. fundamenta**

EXPLIC.

דילigent:] el
tam suis sacris,
et continuendo,
LXXXIII, 67. repu
tum Judæ, mon
tam, 13. elegit De
portas Zi
nosque compr
nem illic Davi
1. Coron. xv,
cepta quando